

Thomista: Ergo sicut respectu illorum miraculorum, non potuit humanitas Christi esse instrumentum phy-

31 Respondeo negando Majorem, ad ejus primam probationem, seu primam exemplum quod adducitur in contrarium, dicendum est, columbam illam quae apparuit in Jordane dum Christus baptizaretur, factam fuisse ex praecipiente materia aeris, vel alterius elementi, atque adeo per creationem non fuisse productam. Ita colligitur ex S. Thoma infra q. 39. art. 7. in fine corporis, ubi exponens modum quo potuit Deus columbam illam formare, ait ex Augustino: Non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut non fuit ei difficile verum corpus in utero Mariae sine virili semine fabricare, cum creatura corporea, & in visceribus semina ad formandum hominem, & in isto mundo ad formandum columbam, imperio Domini voluntatiq; servaret. Ex quibus patet exillimare S. Doctorem cum Augustino quem sequitur, sic fuisse formatam illam columbam, sicut formatum fuit corpus Christi in visceribus B. Virginis, atque adeo illam non fuisse creatam, sed ex praesistente aeris vel alterius elementi materia productam.

32 Ad secundum exemplum dicendum abtentionem solis in morte Christi, non fuisse per subtractionem concursus divini, sed per interpositionem Lunae inter Solem & terram, ut ex Dionysio in Epist. ad Polycarpum docet S. Thomas infra q. 44. art. 2. ad ubi quatuor vel quinque miracula in tali eclipsi contigit observari, praeterquam ibidem sententiam Dionysii opinionem Origenis, exillimantis illam abtentionem provenisse ex positione alicujus densissimae nubis inter Solem & terram: Quod etiam, inquit, alii Astrologi ubique terrarum tunc existentes crediderunt, quia non fuerunt solliciti de observanda eclipsi, quia tunc tempus non erat, unde illam abtentionem ex aliqua passione aeris accidere putaverunt. Sed in Aegypto ubi raro nubes apparent, praeter aeris serenitatem, personae est Dionysius, & scilicet ejus, in praedicta circa illam abtentionem observarent.

33 Ad tertium exemplum similiter dico, miraculum illud quod Christus fecit, cum super aquas ambulavit, non contigit ex subtrahitione divini concursus, quem tunc Deus aquis denegaverit, ne gravitaret, sed ex eo quod corpori Christi fuit tunc communicata dos agilitatis per modum transiensis, qualiter etiam redundavit ex gloria animae ad corpus in transfiguratione claritas per modum passionis transiensis, ut docet S. Thom. infra q. 45. art. 2. his verbis: Ad corpus Christi in transfiguratione devota est claritas & divinitas & anima ejus non per modum qualitatis immutantis, efficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transiensis, sicut cum aer illuminatur a sole. Unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparuit, miraculosus fuit, sicut & hoc ipsum quod ambulavit super undas maris.

34 Obijcit quarto contra tertiam conclusionem: De ratione instrumenti physici est, ut contingat subjectum in quo debet recipi ejus effectus, est enim indilantia localis, seu contactus physicus, in omni agente physico, conditio necessaria ad agendum. Sed humanitas Christi modo in caelis exiens, non contingit subjecta in quibus produciuntur gratia, vel circa qua in terris operationes miraculose fiunt, ut constat: Ergo non concurrunt instrumentaliter physice ad illos effectus. Eadem est difficultas de miraculis, quae Christus edidit, dum esset in terris; non enim physice contingebat Christus omnes homines quos miraculose sanavit, vel mortuos quos ad vitam revocavit: nam Matth. 8. sola voce sanavit servum Centurionis absentem, Joann. 4. sanavit restituit filium Reguli distantem, & cap. 11. voce revocavit animam Lazari existentem in Lybno, quo vox illa peringere non potuit.

35 Respondeo primo, distinguendo Majorem: De ratione instrumenti physici est ut contingat subjectum in quo debet recipi ejus effectus: si sit instrumentum naturale, vel artificiale, concedo: si sit instrumentum supernaturale, & divinae virtutis, nego. Hoc enim inter instrumenta primi & secundi generis intercedit discrimen, quod illa debent necessario contingere subjectum in quo effectus ipsorum recipitur, non vero ista: sicut enim verbi gratia ut dolabra debet contingere lignum, in quo ab arte debet introduci forma artis, & in illud ejus virtutem aut motionem deserre; sacramenta vero & alia divinae virtutis instrumenta, non debent necessario physice contingere subjectum in quo illorum effectus produciuntur. Unde D. Thomas 2. 2. quest. 18. art. 1. ad 1. docet Deum posse elevare interierem hominis operationem ad physice paranda miracula in re externa & dilanti. Et 1. p. quest. 64. art. 4. ad 2. asserit demones in aere illo detentos, torquent ab igne inferni, asseritque Glossam Jacobi 3. dicentem: demones portantur semper ignem gehennae, quocumque vadant. Ratio vero hujus discriminis petitur ex eo quod in instrumentis naturalibus, aut artificialibus, virtus causae principalis non ita est dilantia, ut per seipsam posse immediate contingere passum, vel subjectum operis naturalis, aut artificiosi,

quando illud est dilant: virtus autem Dei, ob ejus immensitatem, est omnibus rebus intime praesens & indilant, unde non est necesse quod mediante instrumento illam deserente, reddatur praesens subjecto in quo gratia vel alius effectus supernaturalis produciuntur. Aliqua hujus rei exemplum habemus in naturalibus: asserimus enim, licet sit tantum in capite, operatur tamen in pede, ipsum tanquam instrumentum animae sensitivae movendo, ex eo quod anima cui conjungitur, & quae est causa principalis talis motus, formaliter in pede existit. Cum ergo Deus, qui est causa principalis productiva gratiae & miraculorum, omnibus rebus praesens sit, potest humanitas Christi, ut instrumentum conjunctum ipsius, instrumentaliter physice concurrere ad producendum illos effectus in quibuscumque subjectis, etiam dilantibus, nec requiritur quod ea physice contingat.

36 Haec solutio haud dubie probabilis est, & veram ac Thomisticam doctrinam continet, ut tamen adhuc magis elucidetur, & difficultas proposita penitus evacuetur. Melius & clarius responderi potest, distinguendo duplicem propinquitatem vel contactum, nempe contactum suppositi, vel rei quae est instrumentum, & contactum virtutis, & causalitatis, qua actum cum causa principali efficit: & dicendo quod quamvis ad rationem instrumenti physici (praeterquam si sit instrumentum divinae virtutis) non sit necesse ut illud per seipsam, seu per seipsum entitatem, attingat subjectum, vel effectum qui in eo produciuntur, quia propinquitatis agentis instrumentalis ad passum, est conditio divinae virtutis suppletiva, loquendo tamen de contactu virtutis & causalitatis, implicat contradictionem instrumentum proprie & in rigore physice causare, & quod simul cum causalitate & virtute per eum derivata a causa principali, non tangat spirituales & virtualiter passum. Unde S. Thom. infra q. 48. art. 6. ad 2. Passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen spirituales virtutes ex divinitate unitae, & ideo per spirituales contactum efficiuntur. Et q. 56. art. 1. ad 3. Resurrectio Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cujus proprium est mortuos vivificare: quia quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca, & tempora & in illi contactus virtualis sufficit ad rationem hujus efficientiae, nempe instrumenti physici a Deo elevati. Quibus verbis aperte docet de ratione instrumenti physici esse quod contingat passum, seu subjectum in quo produciuntur effectus ejus, saltem contactu virtutis.

37 Ratio etiam id fuit: Non enim est intelligibile, quod instrumentum aliquid physice efficiens producat effectum, quem neque propria virtute, neque virtute ad agente principali derivata contingit, quia instrumentum, etiam a Deo elevatum, vere ac proprie agit & efficit, alioquin Deus se solo & sine instrumento totum efficeret: Sed efficere nequit, si virtualiter non tangat, quia agere est virtute activa actu esse, & ipsa productio & actualis efficiencia, est virtualis & realis contactus: Ergo implicat instrumentum aliquid physice agere, nisi saltem contactu virtutis, passum, seu subjectum in quo debet recipi ejus effectus, contingat. Unde ad objectionem in forma respondeo, distinguendo Majorem. De ratione instrumenti est ut contingat subjectum in quo debet recipi ejus effectus, contactu supposito, seu rei, nego Majorem: contactu virtutis & causalitatis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Humanitas Christi modo in caelis exiens non contingit subjecta in quibus produciuntur gratia, &c. contactu supposito, seu rei, concedo Minorem: contactu virtutis & causalitatis, nego Minorem, & Consequentiam.

38 Obijcit quinto: Humanitas Christi eodem modo concurrat ad productionem gratiae & miraculorum, quo ejus mors & resurrectio: Sed nec mors nec resurrectio Christi sunt causae instrumentales physice gratiae & miraculorum: Ergo nec ejus humanitas. Major est D. Thom. infra q. 48. art. 6. ubi docet omnia quae operata est humanitas Christi circa nostram salutem, praecipue ratione passionis operata esse, & quest. 56. art. 1. asserit nostram resurrectionem esse effectum in genere causae efficientis resurrectionis Christi. Minor vero fuit: Quod non est, nequit esse causa physica alicujus rei: Sed passio Christi, ejusque resurrectio, modo non sunt: Ergo nequeunt esse causa physica miraculorum, & gratiae, aliorumque effectuum supernaturalium, qui nunc fiunt.

39 Haec difficultas argumentum respondent aliqui, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, negant Majorem, existimant enim id quod non est, posse de potentia Dei absoluta, physice causare: tum quia (inquit) existentia in causa efficiente, requiritur solum ut conditio necessaria ad cauandum, subindeque potest a Deo suppleri, sicut approximatio seu contactus agentis ad passum, est conditio quam Deus potest supplere: ut in solutione praecedentis objectionis dicebamus. Tum etiam, quia si aliqua ratione res non existens non potest causare, maxime quia id quod in se non existit, nec ratione sui potest agere, cum in se non sit,

nec ab alio ut instrumentum ad operandum assumi: Sed haec ratio non vincit: Ergo, &c. Minor probatur: Licet id quod in se non est, non possit assumi ut instrumentum ab alio in cujus mensura non sit, non tamen impossibile videtur quod assumatur ab alio in cujus mensura est: Sed res futura, licet in propria mensura non sit, est tamen in mensura Dei, futurum enim est praesens aeternitati, quae est mensura Dei: Ergo a Deo potest assumi ut instrumentum physicum.

40 Confirmatur: Quod ratione sui non extenditur ad causalitatem alicujus termini, ut Dei instrumentum potest extendi, quia Dei causalitas ad talem terminum extenditur: Ergo pariter quod in se non existit, si tamen existat in mensura superioris Dei, quae extenditur ad futurum, ut instrumentum Dei poterit extendi ad aliquid physice cauandum.

41 Haec tamen solutio fulminari nequit, potestque breviter constari: Agere enim est actualitas causae efficientis: non prima: Ergo secunda, subindeque supponit esse se, quod est prima actualitas.

42 Confirmatur: Quia calefactio est actio productiva caloris, & terminatur ad illum, debet in agente supponere calorem, vel formaliter, vel emittente: Sed causalitas seu efficiencia physica, est productiva existentiae, & terminatur ad illam: Ergo debet supponere esse in agente, & consequenter ad agendum, semper requiritur & supponitur existentia.

Nec valet si dicas, quod agere necessario requirit existentiam, non in mensura propria, sed in mensura Dei, quae est aeternitas: Nam contra est quod operatio quae est productio rei in hac mensura nostra creata, existit etiam in tali mensura: Ergo etiam prima actualitas rei agentis, nimirum existentia, debet esse mensurata eadem mensura. Unde

43 Ad primum fundamentum hujus solutionis respondeo, multoties requiri ad causalitatem alicujus causae aliquas condiciones essentialiter, & non solum ex natura rei, ut patet in apprehensione finis, quae quidem ad finalizandum, in probabiliori sententia, solum est conditio, & tamen nec de potentia Dei absoluta potest moveri voluntas a fine, sine praevia apprehensione illius: pariter ergo ad agendum physice, essentialiter requiritur existentia, subindeque a Deo suppleri non potest. De contactu autem, jam dictum est, quod si loquamur de contactu supposito, seu de approximatione agentis ad passum, non requiritur essentialiter ad agendum; contactus tamen virtutis, essentialiter est necessarius, cum claudatur essentialiter in actione per quam agens operatur, ut in solutione praecedentis objectionis declaravimus.

44 Ad secundum, concessa Majori, nego Minorem, ad probationem, nego Majorem, quia implicat ex terminis, ut dictum est, quod agens operatur operatione mensurata mensura creata, nisi ipsum etiam tali mensura mensuretur: cum autem est assumatur a Deo ut instrumentum, debet operari operatione mensurata mensura creata, consequens est id quod in se nullo modo existit, non posse a Deo ut instrumentum assumi.

45 Ad confirmationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam, quia, ut modo dicebamus, hoc ex terminis implicat, nulla vero est implicita, quod aliqua res creata recipiat in se virtutem aliquam, per quam ad aliquam operationem elevetur, ad quam ex natura sua & virtute propria nequit peringere. Haec igitur solutio- nem praetermissam.

46 Dicendum est, quod quando Divus Thomas docet passionem & resurrectionem Christi esse instrumenta nostrae salutis & resurrectionis, hoc non debet intelligi de passione & resurrectione, sed prout sunt quidam motus in fieri qui transierunt, sed secundum quod aliquo modo remanent in humanitate, ratione cicatricum, & dotium gloriae, quae in ea perseverant. Vel ut alii dicunt, idcirco passio & resurrectio Christi dicuntur causae nostrae salutis & resurrectionis, quia humanitas Christi, ut per passionem & resurrectionem immutata, modificata, ac determinata, ad hos effectus praestandos a Deo ut instrumentum assumitur.

47 Obijcit sexto: In humanitate Christi nulla est virtus sufficiens ad physice cauandum gratiam & alios effectus supernaturales: Ergo non causat illos physice. Consequentia patet, probatur Antecedens. Nam vel talis virtus esset corporea, vel spiritualis. Non corporea, alias non posset subjectari in anima Christi, nec concurrere ad effectum spirituales, qualis est productio gratiae: neque etiam spiritualis, quia non posset recipi in corpore Christi, quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur, atque adeo corporeum esse debet, si ejus subjectum sit corpus: Ergo, &c.

48 Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem dico, virtutem constituentem humanitatem Christi in ratione instrumenti physici, esse spirituales, licet recipiantur in subjecto corporeo: Ratio est, quia licet virtus spiritualis ex natura sua permanens & completa, qualis est ea

quam habet causa principalis, nequeat recipi in subjecto corporeo, bene tamen illa quae ex natura sua est transiens & incompleta, qualis est virtus humanitatis Christi ad paranda miracula, & cauandam gratiam, apte quae consistit vel in motione, vel in qualitate vitali, sive transeunte. Solutio desinitur ex D. Thoma infra quest. 62. art. 4. ad 1. ubi proposita sibi eadem objectionem, sic respondet: Ad primum dicendum quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea, per modum virtutis permanentis & completa, nihil tamen prohibet esse in corpore virtutem spirituales instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spirituales inducendum. Juxta quam doctrinam debet similiter distinguere illud axioma: Quilibet recipitur, ad modum recipientis recipitur, & concedi, si illud quod recipitur sit permanens, negari vero, si sit solum virtus transiens. De quo fusius in Tractatu de Sacramentis disp. 3. art. 3. §. 6.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis inferes, gratiam miraculorum in Christo, non fuisse virtutem aliquam, seu qualitatem permanentem habitualiter in illo, sed qualitatem naturae sua fluentem & transeuntem, quamvis propter dignitatem subjecti, in eo fuerit per modum habitus.

Prima pars hujus corollarii patet ex dictis, nam gratia miraculorum, seu vis parandi miracula, humanitati Christi collata, non est virtus principalis, sed instrumentalitatis, ipsam elevans ac reddens potentem ad paranda miracula: Atqui vis instrumentalitatis non est qualitas ex natura sua permanens, sed fluens & transiens, ut docet Philosophi 2. physice. Ergo & vis parandi miracula humanitati Christi collata.

49 Dices, Christi humanitati in ordine ad miracula est tribuenda perfectissima virtus instrumentalitatis possibilis, hoc enim exigere videtur infinita dignitas ipsius Christi: Sed possibilis est virtus instrumentalitatis de se permanens ad miracula efficienda: Ergo illa humanitati Christi concedi debet, Major videtur certa, Minor probatur. Character est potestas & virtus permanens in anima, ut dicemus in Tractatu de Sacramentis disp. 4. art. 2. Sed ille est vis instrumentalitatis ad efficienda sacramenta, & convertendum panem in corpus Christi: Ergo possibilis est virtus instrumentalitatis de se permanens ad miracula efficienda.

50 Respondeo primo distinguendo Majorem: Tribuenda est Christo perfectissima virtus instrumentalitatis possibilis, secundum potentiam Dei absolutam, nego: secundum potentiam ordinariam, concedo, ut enim sepe diximus, non est necesse ponere in Christo omnem majorem perfectionem ei possibilem secundum potentiam Dei absolutam, alias operaretur ponere gratiam habituales in illo in perfectioni gradu quam de facto illam habuit, cum potuisset ejus gratia esse magis intensa: similiter secundum scientiam inditam omnia debuisse cognoscere per unam speciem, quia haec species non videtur impossibilis, quae tamen communiter negantur: Sed fat est illi tribuere omnem majorem perfectionem possibilem de potentia ordinaria, quae est sufficiens ad intrinsecum ornatum ipsius humanitatis, & ad finem Incarnationis, atque accommodata suavi dispositioni divinae providentiae: licet autem gratis admittatur posse dari virtutem instrumentalitatis ad miracula, de se permanentem, tamen hoc non efficit secundum potentiam Dei ordinariam, sed absolutam.

51 Respondeo secundo, data Majori, negando Minorem, nam ut ait D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. impossibile est dari aliquam qualitatem ad faciendam miracula: quod intelligendum est (ut interpretatur Capreolus) de qualitate de se & ex natura sua permanenti, non vero de qualitate vitali & transeunte. Unde ad exemplum quod in contrarium adducitur, dicendum est characterem non esse virtutem instrumentalem complete & in actu secundo, sed incomplete & in actu primo, quatenus per illum Sacerdos constituitur in aptitudine, ut recipiat virtutem instrumentalem, & elevationem a Deo, seu motionem agentis principalis, per quam ministerialiter & instrumentaliter operatur, ut in Tractatu de Sacramentis latius exponemus. Unde character est forma permanens, non quia est virtus instrumentalitatis, sed quia per illum tanquam per participationem Sacerdotii Christi sanctificantur atque deputantur fideles divini cultui: omnis autem sanctificatio quae fit per Sacerdotium Christi, est perpetua, re consecrata manente; est enim Sacerdotium Christi aeternum, secundum illud Psalmi 109. Tu es Sacerdos in aeternum.

52 Secunda pars corollarii, quae asserit virtutem parandi miracula in Christo, quamvis ex se & natura sua fuerit transiens, per accidens tamen, ob dignitatem subjecti, in eo fuisse ad modum habitus & permanentem, breviter saadet. Ad perfectionem Christi pertinebat, virtutem factivam miraculorum esse in ejus humanitate perfectissimo modo: Sed perfectus est illam habere permanentem,

nenter, & ad modum habitus, quam transeunt, & per modum dispositionis: Ergo Christus virtutem illam ex se & ex natura sua transeunt, habuit permanenter & per modum habitus: Sicut supra disp. 12. artic. 5. dicebamus, quod licet donum prophetie detur communiter per modum motionis & consecrationis transeuntis, in Christo tamen, ratione conjunctionis anime eius ad verbum, fuit permanenter, & per modum habitus: unde sic ubi hanc rationem Christus prophetabat, quando volebat, ita poterat efficere miracula, quoties, & quando volebat, semperque ad ea pacanda paratum habebat assistentiam & concursum divini omnipotentie, ut articulo precedenti annotavimus.

53 Dices, qualitas que secundum se & quoad suam substantiam est transiens, etiam quoad modum debet esse talis, cum modus essendi proportionetur ipsi substantie rei: Ergo si virtus patrativa miraculorum in Christo, secundum se, & quoad suam substantiam, fuerit transiens, etiam quoad modum & statum debuit esse talis.

54 Respondetur negando Majorem, non enim repugnat quod aliqua qualitas sit quoad substantiam transiens, & quoad modum permanentis: ut enim dicitur in Logica, capite de qualitate, datur qualitas, que quoad substantiam est dispositio, seu de facti mobilis a subiecto, & quoad modum est habitus, seu a subiecto difficile mobilis, ut habitus opinionis in hereticis: sicut contra datur qualitas, que quoad substantiam est habitus, & quoad modum est dispositio, ut scientia que est in tyronem. Sicut ergo Theologi docent lumen glorie collatum Paulo in raptu per modum transeuntis, fuisse natura sua permanentem, atque habitum: ita pariter ex adverso nos dicimus, quod miraculorum anima Christi collatum, quamvis fuerit qualitas natura sua transiens, in Christo tamen, ob dignitatem subiecti, & ratione conjunctionis nature eius ad Verbum, fuisse permanentem, & habuisse modum & statum habitus.

DISPUTATIO XX.

De impeccabilitate Christi.

Ad questionem 15. Divi Thomae.

Hactenus egit S. Doct. de perfectionibus humanitatis assumpta, nunc agere incipit de defectibus eiusdem nature, & primo de illis que ad corpus pertinent, quod facit questione decima quarta, deinde de illis que spectant ad animam, quod prestat questione decima quinta. Sed quia circa primum nulla occurrit difficultas hic discutenda, ad secundum progredimur, & de impeccabilitate anime Christi sequentibus articulis differimus.

ARTICULUS I.

An Christus de potentia absoluta peccare poterit?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Suppono primo ut certam & indubitam veritatem fidei, & Christo nunquam de facto peccasse: id enim innuunt testantur Scriptura loca: nominatim vero Isaie 53. dicitur Christum non fecisse iniquitatem, nec dolum fuisse inventum in ore eius. Ad quem locum alluit S. Petrus Epistola 1. c. 2. istdem verbis Christi innocentiam commendans, nisi quod per iniquitatem apud eum habetur peccatum, ut liqueat Christum non modo non admisisse gravem culpam, qualem vox iniquitatis in communi usu sonat, sed proflus nullam, alioquin peccatum fecisset, quod negat Apostolus. Habetur etiam ad Hebræos 4. Christum tentatum fuisse per modum similitudinis, absque peccato. Quæ verba periphrase excludunt a Christo peccatum. Et c. 7. Talis enim dicebat, ut nobis esset tentator, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus. Denique ipse Christus se accusatorum & hostium iudicio permittit dicens: Quis ex vobis arguet me de peccato? Quod S. Christoff. homil. 24. in 1. ad Corinth. magna esse securitatis docet.

Missa facio loca quedam, quibus innocentia Christi non nisi allegorice traditur, ut que S. Christofostomus homil. 5. ex variis in Mathæum locis profert de serpente super petram non relinquente vestigia, quod ad Christi innocentiam aptat. Item quod Psal. 90. dicitur: Flagellatum non propinquabit tabernaculo tuo, quod idem Christofostomus accipit de Christi humanitate, nullo unquam peccato temeratum, tanquam flagello diabólico procul abacto. Similiter quod habetur Exodi 25. de arca veteris testamenti compacta ex lignis que putrefecere non poterant, & auro purissimo intus & extra contexta, quod ad Christi humanitatem, nullis peccati putredini obnoxium, & caritate intus & extra veluti auro purissimo rutilantem, refert Eustachius

Antiochenus, oratione in illud: Dominus passis me. Docet etiam Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 193. quod Jacob hadorum pellibus contextus, ac paternam benedictionem consecutus, Christum significavit, qui peccato obnoxium naturam citra peccatum suscepit, ac vitiosus ipsius affectus in seipso interemit, & Sanctus Maximus sermone de Paschate, de Christo exponit illud Psal. 88. Ponam in scutum saculi semem ejus, & thronum ejus sicut dies celi. Quod sic glossat: (Quis est dies celi, nisi Christus Dominus, de quo dicitur per Prophetam: Dies celi erunt Verbum, ipse enim dies Filius, cui Pater dies, divinitatis suæ eructat arcum. Ipse, inquam, est dies qui ait per Salomonem: Ego feci ut oriatur in celo lumen indefectum.) Sicut ergo diem celi, non omnino non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebræ non sequuntur. Semper enim dies celi splendet, lucet, & fulgat, neque aliqua potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi semper micat, radiat, coruscatur, nec aliqua potest delictorum caligine comprehendi, unde ait Evangelista Joannes: Et lux in tenebris lucet, & tenebræ enim non comprehendunt. Denique sponsa in Canticis pulchritudinem sponsi describens, ipsum ait esse candidum, & rubicundum, ac electum ex millibus, quod Richardus Victorinus interpretatur de Christo, qui candidus vel propter innocentiam, rubicundus ex ardore caritatis, vel per sanguinem in passione fuso, & electus ex millibus, quia solus fuit sine peccato inventus.

Ratio etiam quam D. Thom. hic art. 1. adducit, id aperte declarat: Christus enim non nisi propter tria assumptis defectus nostris, scilicet non nisi pro nobis satisfecerit, ut veritatem humanæ nature comprobaret, & ut nobis fieret exemplum virtutis: Sed ad nullum horum potuit peccatum conducere: Ergo nullum assumpsit peccatum. Major patet. Minor vero quoad singulas partes probatur. In primis enim peccatum non potuit ad satisfaciendum conducere, cum potius impediat virtutem satisfactionis. Nec ex illo demonstratur veritas humana nature: non enim est humana nature conforme, sed potius contra illius inclinationem. Nec tandem potest virtutis exemplum esse, cum contrarietur virtuti. Peccatum ergo actuale vel habituale nulla ratione potuit in Christum cadere, præsertim cum ipse idcirco venisset, ut peccatum destrueret, essetque Agnus Dei tollens peccatum mundi, juxta Danielis prophetiam. Unde præclare S. Paulinus panegy. de obitu Celsi: Nam neque deleret culpam, nisi liber ab illi, Nec laxare voss posset, ipse reus, Nec peccatori mors cederet, nisi liber ab illis, Peccati vinculis legitime retinens.

Eandem rationem eleganter prosequitur D. Bernardus 3. ferm. 4. de vigilia Nativitatis, his verbis: Ecce Agnus sine macula, Agnus qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata multos tolleret, quam is in quem peccatum non cadit? Ipse sine dubio lavare se potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus operum luto deterget oculum meum, que sola sine pulvere est. Ipse mihi septicum educat de oculo, qui non habet trabem in suo: immo ipse trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.

Patrem inter & humanum genus inimicitie intercedebant, quarum Christus destructor, & inter Deum & homines Mediator esse debebat: Non igitur ex inimicis unus esse debuit, ne & ipse mediatore & conciliatore egeret. Moyses terram promissionis intrare non potuit, sed Josue, qui ad aquas contradictionis non peccavit. In quo notatur quod oportebat humani generis liberatorem, & introductorem in caelestem Jerusalem esse sine peccato, ut egregie observavit Stephanus Cantuariensis in cap. 27. Numerorum. Summa ergo Christi innocentia, & perfecta a quocumque peccato immunitas, a nullo Catholico potest revocari in dubium.

Nec obstant quedam Scriptura testimonia, quibus peccatum tribui Christo videtur, ut illud Psal. 21. Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea vocas delictorum meorum. Quæ verba David in Christi persona dixisset, extra controversiam est, cum ipse Christus partem eorum in Crucis protulerit, idcirco D. Augustinus hunc Psalmodum, non tam prophetiam censet appellandum, quam Evangelicam historiam. Cum ergo Christus verbis illis sua aliqua delicta agnoscat, non videtur fuisse expers peccati. Similiterque est illud Psal. 37. A facie peccatorum meorum, quod de Christo dictum esse, admittit ibi S. Augustinus. Addi item potest locus Apostoli 2. ad Corinth. 5. & ad Galatas 3. dicentis Christum factum esse peccatum & maledictum. Denique obijci potest, Christum voluisse a Joanne baptizari: hunc autem fuisse inutile & superfluum, si nullam peccatum habuisset, vel contra xist. cum Luca 3. Joannes baptizasse dicitur in remissionem peccatorum.

Sed hæc vix response egent, locus enim Psal. 21. & 37. facile exponitur dicendo Christum ibi tanquam humani generis fidei flores exponere aeterno Patri se propter delicta sua (qua videlicet in se suscepit, pro sanguine & cruciatibus elenda) longe fieri a salute corporis, & liberatio-

se, quam ex natura inclinatione petebat. Ita hunc locum exponunt Nazianzenus Orat. 36. Augustinus ad locum prolatum ex Psal. 17. & ad titulum Psal. 58. Genezardus, Bellarminus, & alii: quoniam etiam in Concilio Romano viginti Episcoporum sub Vigilio, & expositio sub anathematice præcepta est can. 23. ut refert Turrianus in defensione libri 2. Constitutionum Clementis, ad caput 5.

Ad locum vero Apostoli ex 2. ad Corinth. 5. ubi Christus dicitur factus peccatum, respondetur cum D. Augustino in Enchir. cap. 14. & cum D. Thoma hic art. 1. ad 3. eatenus dici Christum factum esse peccatum, quia hostia pro peccatis est factus, nam in antiqua lege sacrificia pro peccatis dicebantur peccata, juxta illud Osee 4. Peccata populi mei comestent. Vel Christus dicitur factus peccatum, quia factus est in similitudinem carnis peccati, propter corpus mortale & passibile quod assumpsit.

Quod de baptismo additur omnino infusum est, nam baptismus Joannis quem Christus suscepit, erat infirmum & egenum elementum. Ut quavis dicitur Joannes baptizasse in remissionem peccatorum, tamen id baptismus ille non nisi figuratim & dispositivè præstabat, commendo videlicet hoc externo signo peccatores, ut lavarentur per contritionem, ac mundi fierent. Unde satie omnino a Felice Urgellitano assertum dicitur, Christum in baptismo Joannis quem suscepit, spiritali generatione, æque ac nos in Christi baptismo, fuisse renatum; cum potius baptizari voluerit, ut aquas ipsas ablueret, & nobis sanctificandis aptaret, seu ut vim regenerandi fidei- libis ipsis tribueret, ut eleganter expendit Ambrosius serm. 18. his verbis: Ideo baptizatur Christus, non ut sanctificetur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificet, & puritate sua purificet fluentia illa qua tangit: consecratio enim Christi, consecratio major est elementis. Cum enim Salvator abluitur, jam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, & purificatur sine, ut securus postmodum populis lavari gratia ministratur. Similia habet S. Maximus hom. 7. de Epiphania, ubi idcirco tantum baptismum Christum ait, ut aqua nostro baptismi consecrarentur, & S. Chryostomus homil. in Precursores, ubi baptismum a Joanne Christum, ait, ut deegeret antiquum peccatum, & aperiret aqua ac spiritum valvæ. Adiditque: Cum Jesus descendisset in Jordanem, videre erat: magnum miraculum, fontem in flumine locum, & flumen in flumine baptizatum.

Suppono secundo ut certum & indubitatum, Christum, non solum nunquam de facto peccasse, sed nec potuisse de lege ordinaria peccare, quia erat beatus; & gratia plenus, a primo instanti conceptionis, propter conjunctionem anime ejus ad Verbum: beatitudo autem, & gratia plenitudo, non possunt de lege saltem ordinaria, cum peccato componi. Quod igitur in præsentem inquirimus, est an Christus, est non peccaverit de facto, nec de lege ordinaria peccare potuerit, de potentia tamen absoluta potuerit peccatum committere? non quod Deus præbeat vires ad peccandum, vel ad illud sua potentia speciali juvet, id enim omnes Theologi impossibile censent, alias Auctor peccati eum esse posset: sed quod utendo sua absoluta potentia auerit a Christo dona cum peccato repugnancia, v. g. beatitudinem, gratiam habituales, & supernaturales virtutes, vel talia dona non tribuat humanitati, potuit de potentia absoluta, in communi Theologorum sententia, eo quod cum unione hypostatice essentialium connexionem non habeant. Unde sentus præsentis difficultatis est, an in causa quæ verbo humanitatem assumeret sine beatitudine, & sine ullo gratiæ dono, præter gratiam substantialem unionis, possit illius humanitas peccare in sensu composito unionis, hoc est unione cum peccato retenta, vel in sensu diviso, hoc est unione per peccatum destructa, eo modo quo homo iustus potest peccare mortaliter, non peccato cum habituali gratia composito, sed gratia per peccatum destructa?

Qua in re tres reperio diverfas Theologorum sententias. Prima asserit posse in eo casu Christum peccare in sensu composito unionis, hoc est unione non destructa per peccatum, sed cum illo conservata. Ita Durandus in 3. dist. 12. qu. 2. dicens: In contrarium magis obijcere verba deuta, quam rationem efficientem. Hunc sequuntur Nominales, præsertim Ocham, Almainus, & Marfilius. Scotus etiam & ejus Discipuli, nominatim Rada, & Faber, huic adhaerent sententia.

Secunda docet non posse quidem etiam de potentia absoluta, peccatum componi cum unione hypostatice; in sensu tamen diviso, humanitatem Verbo unitam sine visione beatifica, posse peccare, peccato destruenta unione, non quidem ex natura rei, sed de potentia absoluta. Hanc tenet Hurtado hic disp. 59. & 60. Tertia que non solum apud domesticos, sed etiam apud extraneos communis est, delendit humanitatem Verbo unitam non posse etiam de potentia absoluta peccare, ne dum in sensu composito, in sensu unione cum peccato retenta, sed nec etiam in sensu diviso, nempe unione per peccatum destructa. Hanc sententiam ita certam plures exilimant, ut oppositam iudicem erroneam:

& Capreolus dicit, contra illam non esse agendum argumentum, sed statum. Qui autem mitius loquuntur, eam ad minus temerariam vel scandalosam censent. Sed quidquid sit de his censuris, a quibus abstinendum existimo, ut sancti Doctoris modelium imitemur, veram omnino censuram sententiam, qua Christum esse vi præfata unionis hypostatice omnino impeccabilem esse affirmat, & oppositam SS. Patrum doctrinæ aperte repugnare, ut patebit ex dicendis §. sequenti.

§. II.

Primo conclusio statuitur, & auctoritate Sanctorum Patrum confirmatur.

Loco primo: Humanitas Christi Verbo unita peccare non potuit, etiam de potentia absoluta, peccato cum unione composito. Probatur primo conclusio ex SS. Patribus, qui passim docent humanitatem Christi ex vi unionis hypostatice esse impeccabilem, subindeque censent peccatum non posse cum unione componi. Eorum testimonia fufe & lato calamo profert Valq. hic disp. 61. c. 1. nos breviter ea exponemus.

In primis Hilarius lib. 1. de Trinitate circa medium, asserit Christum non potuisse admittere peccatum, dum Christus est, eo quod qui Christus est, non potuit amittere quod Christus est. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 10. ait Christum idcirco non potuisse peccare, quia non solum homo, sed etiam Deus erat. Dionysius Alexandrinus in Epist. contra Paulum Samosatenum docet, quod quia anima Christi erat Verbo Dei unita, incapax peccati fuit. Et addit quod si Christus non esset Deus, non esset alienus a potestate peccandi. Anastasius Sinaita cap. 2. dicit, Sola, inquit, Christi mens, & sanctissima ejus anima, incapax omniisque malitiae, nescia fuit, & forma enim servus erat qui regebatur & gubernabatur a Divino Verbo in eadem hypostasi sibi conjuncta. Rupertus etiam libro de voluntate Dei, cap. 11. ait quod humanitas Christi, non per creationem, sed per assumptionem facta est creatura talis, quæ peccare non solum non potest, verum etiam non potest. Idque probat ex verbis Christi Joann. 5. Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod videt Patrem facientem, subdens: Quid enim est quemquam a semetipso quidquam facere, nisi malum facere.

Denique hanc veritatem eleganter expressit Augustinus, 18. vel Auctor libri de Incarnatione Verbi, qui inter ejus opera habetur: nam lib. 2. sub finem hæc scribit: Massam, sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus, itam ignem essentialiter accimus, quia nec aliud in se nisi ignis continetur, sed & si quis contingere æque contrariare accendimus, non ferri, sed ignis vim sentit. Hoc ergo modo etiam illa anima qua quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo semper in sapientia, semper in Deo posita est: omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est. Et nec visibilia nec invisibilia dici potest, quæ incorruptibilitatem ex Verbo Dei unicate, indefinitate ignita possidebat. Et mox: Ista anima aliter delectata, id est Verbo Dei & sapientia ungitur. Et aliter participes ejus, id est sancti Propheta, & Apostoli. Illi enim in odorem iugiter odoris ejus, cuius participes sunt, ista vero anima vastum argenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia participes digni quique Propheta & Apostoli habent. Sicut ergo alius est argenti odor, & alius est argenti substantia: ita alius est Christus, & alius participes sui. Et sicut vas ipsum quod substantiam continet argenti, nullum odorem potest aliud recipere liquoris: ita anima Christi, velut vas in quo erat substantia argenti, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem: participes vero ejus, quam proximi fuerint vasculo, tam odoris erunt participes & capaces. Et qui ex odore ejus participant, si se paulo longius a fragrantia ejus amoverint, impossibile est ut non incendant in odorem contrarium. Verba hujus libri Auctor descripsisse videtur ex Origene lib. 2. Periarch. cap. 6. ubi familia leguntur.

Tam clara & expressa SS. Patrum testimonia conantur 13. Discipuli Scoti eludere, dicendo SS. Patres his locis probare impeccabilitatem in Christo ex unione substantiali ad Verbum, non quia ipsa sit essentialiter cum peccato incompatibilis, aut ratio formalis impeccabilitatis humanitatis Christi, sed quia ratione illius erant ipsi debita, debito congruentia, dona gratiæ & fruitio beatifica, ratione quorum illi repugnabat peccatum.

Verum hæc solutio, ut dixi, mera elusio est, & aperte 14. menti SS. Patrum repugnat. In primis enim Dionysius Alexandrinus taliter attribuit impeccabilitatem Christo, ratione divinitatis, quod si non esset Deus, non possit esse alienus a potestate peccandi: At si esse Deum non esset ratio impeccabilitatis Christi, sed solum redderet debitum, debito congruentia, formam talis impeccabilitatis, possit esse alienus a potestate peccandi, quamvis Deus non esset, dummodo beatifica visione fruere, ut in aliis beatiss de facto contingit: Ergo juxta Dionysium incapacitas peccandi convenit Christo ratione unionis formaliter.